

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis  
Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Christophoro Ruellio S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](#)

## Christophoro Ruellio S. D.

Cum tibi, mi Christopore, qui in optimis literis  
 bona cum spe uersari uideris, quantum ex tua epi-  
 stola humanissime scripta iudicare potui: tum uero  
 maxime patris tui, uiri optimi causa gratulor, qui  
 cum nihil magis expetat in hac uita, quam cum li-  
 beri uirtute & doctrina instructi succedant in pa-  
 terni nominis decus, dignus est qui habeat liberos  
 optimos. Itaq; maximæ uoluptatati mibi suis epi-  
 stola tua. Nam & tuum propter singularē in omni  
officij genere constantiam ac fidem, consilium ual-  
de amo: et te in ea amicitia, quæ mihi cum patre  
est, completi iure me debere statuo. Precor itaq; ut  
Christus faueat tuis studijs, et fratris tui, eaq; ad sa-  
lutem & dignitatē uestram ac Reipublicā guber-  
net. Sic enim existimabitis, hæc uestra studia non so-  
lum ad uos, sed etiam ad Rempublicam totam per-  
tinere: cuius status haud dubie imitatur, nō tam, ut  
Plato dicit, musicos modos, quam literarum stu-  
dia, & doctrinā eorum qui res gubernent. De pre-  
ceptore surrogando, dum idoneum quero, diutius  
extrahi rem video. Sed efficiam ut hac septimana  
aut Emericus, aut aliis quissiam qui mihi probe-  
tur, ad uos proficiscatur: aut ut habeatis literas, in  
quibus intelligatis neminem hic reperiri, qui mo-  
dò & idoneus sit, & hoc tempore scholam dese-  
rere uelit. Magna enim, mi Christophore, recte di-  
scendentium

scientium paucitas est. Quò magis te adhortor, ut  
in eam rationem studiorū, in quam authoritas pa-  
tris induxit, diligiter incumbas ut optimas res, &  
in uita maximè necessarias, diuinitus humano ge-  
neri donatas, Reipublicæ conseruare pro tuo ui-  
rili studeas.

Munus tue matris, fœminæ honestissimæ, gra-  
tissimum mihi est, & erit pignus amicitiae, tibi  
nunc proprie mecum constitutæ, quam opto esse  
felicem.

Me hic publica & priuata negotia sic alliga-  
runt, ut nusquam pedem proferre licuerit. Bene ua-  
le. Saluta meis uerbis reuerenter patrem tuum, ui-  
rum optimum: ac matrem, honestissimam fœminā:  
& tuos præceptores, D. Agricolam et Iustum. An-  
no 1527.

Christophoro Ruellio S. D.

Ego boni uiri conspectum, faustissimum omē ef-  
se interpreter. Itaque ualde gauisus sum, cūm forte  
in aulam, quò nos quoque uocati eramus, uenisset  
pater, uir optimus, & hoc ipso tempore elegatus de  
pace & tranquillitate totius Germaniae. Libenter  
igitur dedi ei petenti ad te literas, ut tecum cōmuni-  
carem hanc uoluptatē, quam ex inopinato hoc con-  
gressu tui patris cœpi. Sperabam enim me tibi fa-  
cturum rem gratissimam. Nec uero habebam hoc

y s tempore